

ff. de procur. distinguendi sunt tres casus.

Primus est, qñ ab initio causæ citatur procurator. Hoc in casu rectè dicimus, procuratorem non præsumi de causa instructum, & ideo iure petit dilationem, vt possit consulere dominum. Nil enim imputari potest domino, quod procuratorem non instruxerit, cum diuinare non potuerit, qua de causa fuerit ad iudicium vocatus. Ita tradunt relati interpretes, sic intelligentes d. c. dilectus, de procur.

Secundus est casus, quando ab initio causæ fuit citatus dominus, nil tamen fuit expressum in citatione, qua de causa ad iudicium vocaretur, si dominus constituit generalem procuratorem iure petit procurator dilationem ad cõsulendum dominum, cum tunc non præsumatur hic procurator instructus de causa.

Tertius est casus, quando ab initio causæ fuit citatus dominus, & expressa fuit causa, ob quam ad iudicium vocabatur, si dominus procuratorem constituit, is procurator præsumitur de causa instructus, & ideo dilationes petere non debet ad consulendum dominum. Quod verum esse intellexit Abb. loco iam citato, nisi quid noui emerferit.

Procurator quando constitutus præsumatur, vt alterum sui loco substituere non possit?

S V M M A R I V M.

- 1 Procurator ad iudicia ante litem contestatam substituere alium nequit.
2 Procurator cuius persona electa est industria substituere nequit.
Et quando eius industria censeatur electa, n. 3.

P R Æ S V M P T. XXXVIII.

Solet interdum dubitari an procurator ad iudicia cõstitutus, alium sui loco substituere possit? Qua in re pro regula traditum est, ante litem contestatam substituere non posse, lite verò contestata posse, l. si procurator, ff. si quis mandauerit. ff. mand. l. quod quis, Co. de proc. & vtroq. loco Bar. & idem in l. vlt. §. vlt. n. 2. ff. de diuers. & temp. præscr. & And. Gailius in lib. 1. practic. Obseruat. cap. 74. n. 11.

Porro, quãdo electa est procuratoris industria, substituere is non potest alium sui loco, sicuti præcitati Doctores scribunt. Quando autem electa est industria, colligitur vel ex qualitate negocij tractandi in ipso iudicio, vel ex verbis mandati, quemadmodum de industria iudicis, cui delegata est iurisdicção explicauimus supra in præsumpt. 21. Et ad rem nostram scripsit Bar. in d. l. vlt. §. vlt. in fin. ff. de diuersis, & temp. præscr. quod quando mandatum est datum ad negocium non determinatum, & non habentem certam formam, censeatur electa industria personæ, secus si negocium esset certum, & terminatum. Ita quoque quando negocium est graue, sicuti est iudicium causæ criminalis, in qua substitui procurator non potest. Ias. in d. l. qd quis, in fi. et si alia rone id factum esse scripserit. Ita quoque ex verbis colligitur electa personæ industria, quæ ad modum in specie post alios docuit Ias. in d. l. quod quis, n. 3. vt si eius conscientia mandatum est causam retractari, vel dictum esset, quod ipse procurator personaliter causam perageret. Ias. in d. l. quod quis, n. 3. versic. 7. limita. Et quanquam loquatur Ias. de procuratore ad negocia extrajudicialia, attamen traditiones hæc conueniunt etiam procuratoribus ad iudicia.

Ratificatio actorum, quando subsecuta præsumatur.

S V M M A R I V M.

- 1 Ratificatio sicut nec mandatum, nunquam præsumitur.
2 Ratificatio ob temporis diuturnitatem præsumitur, ad detrimentum ratificare debentis.
Et an id etiam locum habeat in detrimento magno, n. 3.
Ratificatio præsumitur facta ab eo, qui fecit aliquem actum significationem approbationis eorum, quæ gesta sunt.
Et qui sunt ij modi, quibus facta ratificatio præsumitur, num. 5. 6. 7. 8.
Ratificatio præsumitur in eo, qui cum de commodo, & utilitate sua ageretur, sciuit, & tacuit.

P R Æ S V M P T. XXXIX.

Postquam multa de mandato scripsimus, non abest, vt aliqua subijciamus de ratificatione, quæ cum mandato æquiparetur, cap. ratificatione, de regul. iur. in 6. latè Marfilus sing. 184. factum est, vt quemadmodum mandatum non præsumitur, ita nec ratificatio, sicuti in specie scripserunt omnes, quos infra commemorabo. Et accedit, quod lenissima etiam causa, & occasio, qua quis dici possit aliquod egisse absque animo ratificandi, ipsam ratificationem excludit. Ita Imola in conf. 144. & alios refert Hieron. Gabr. in confil. 36. num. 67. in fin. lib. 1.

Declaratur primò, vt locum non habeat hæc præsumptio ob temporis diuturnitatem. Nam tunc præsumitur subsecuta ratificatio ad detrimentum ratificare debentis. Ita responderunt Soc. Sen. in conf. 46. n. 3. versic. præterea in casu. lib. 3. Dec. in confil. 297. num. 3. in fin. Gozad. in confil. 11. n. 16. sentit Cur. Iun. in conf. 50. num. 9. & manifestè Socin. Iun. in confil. 18. num. 32. in confil. 139. num. 14. & in confil. 146. num. 14. libro 3. & Crau. de antiqu. temp. in secunda parte principali. num. 65. quibus intelligimus, hæc esse receptam opinionem, et si dissenferit Ias. in confil. 140. num. 5. li. 4. Et illius considerationibus responderi potest ex his, quæ scripsit Dec. in dic. confil. 297. num. 3. in fin. & num. 4. Dixi tamen in confil. 1. num. 82. lib. 1. prædictos Doctores intelligendos esse, quando agit de modico præiudicio. Verum si rectè eorum traditiones perpendantur dicendum verius est, eos loqui quando agitur etiam de magno præiudicio. Hæc tamen declaratio intelligitur, quando is, qui tenebatur ratificare, sciuit actum gestum cum suis qualitatibus. Nam aliqui nunquam ratificasse præsumitur, sicuti scripserunt multi, quos secutus sum in dic. conf. 1. num. 329. lib. 1. confil. 203. numer. 37. lib. 3. & in commentarijs. de recup. poss. remed. 15. num. 123. Et illis accedunt Natta in conf. 636. num. 194. Thobias Novius in conf. 89. num. 38. latissimè scripsi in confil. 561. num. 17. lib. 6. vbi num. 19. versic. hæc. num. 20. & 21. distinxit ratificationem tacitam, quæ ex aliquo facto oritur, à ratificatione, quæ verbis claris fit. Illa tacita non præsumitur, nisi constet ratificantem sciuisse factum ipsum cum suis qualitatibus. Illa verò, quæ claris verbis fit, non requirit probationem scientie facti cum illa factis præsumatur. & n. 27. retuli aliam declarationem. His accedit Puteus in dec. 397. li. 2.

Declaratur secundò, vt non habeat locum hæc præsumptio, quando is, qui ad sui præiudicium ratificare tenetur, fecit aliquem actum significantium approbationis eorum, quæ gesta fuerunt. Ita copiosè scripsi in dic. remed. 15. num. 118. quo loci retuli aliquos actus inferentes ratificationem. Quorum primus est, quando hic ratificare debens soluit, vel recipit solutionem, quæ fieri debuit respectu actus gesti à procuratore, vel alio suo

suo nomine. Et illo in loco commemoravi multos, qui ita in specie affirmarunt. Secundus est, quando ratificare debens percipit fructus & redditus bonorum quætorum suo nomine à procuratore, vt præcitato in loco num. 120. post multos scripsi, idem respondi in confil. 99. num. 42. & 43. lib. 1. & in confil. 196. libro 2. Tertius est actus ratificationis significatiuus, quando in codice rationum rerum suarum is cõscripsit, ita fuisse actum & gestum. Ita respondi in confil. 79. nu. 16. lib. 1. Quartus est actus, quando in iudicio producit ad sui commodum gesta illa. Nam tunc ea approbare, & ratificare præsumitur. Dec. in confil. 558. num. 7. Gozad. in confil. 42. num. 9. & latissimè Paris. in tractat. de antiq. tempor. in 4. par. 1. part. princ. num. 50. & attingemus infra in præsumpt. 45.

Declaratur tertio, vt locum non habeat, quando agitur de commodo & utilitate eius, qui ratificare debuit & is sciuit & tacuit. Nam tunc ratificasse præsumitur. Ita Dec. in confil. 58. col. 2. Ruin. in conf. 174. col. 3. versic. sed ex alio. lib. 1. Paris. in confil. 89. col. penul. lib. 3. Roland. in confil. 19. num. 36. lib. 1. quos secutus sum in conf. 189. num. 10. lib. 2. & in confil. 229. nu. 76. lib. 3. vbi declarauimus.

Declaratur quartò, non procedere quando statim adepta est possessio post confectum actum. Nam tunc præsumitur ratificatio. Ita Paris. in confil. 88. num. 97. lib. 3. Soc. Iun. in confil. 67. num. 15. lib. 3. & Cephal. in confil. 33. col. penul. versic. postremo lib. 1.

Libellum præsumi aptè & rectè conceptum declaratur?

S V M M A R I V M.

- 1 Libellus aptè & rectè præsumitur conceptus, & vt sustineatur venit interpretandus.
2 Libellus vt sustineatur, verba impropriari debent.
3 Libellus sustinetur etiam verba impropriando, quando nil omnino conueniat negotio.

P R Æ S V M P T. XL.

Cum vel Reis in ius vocatis, vel eorum procuratoribus, de quibus hæcenus diximus, libellus dari solet, ea propter hoc in loco agendum est de illis præsumptionibus, quæ circa libellum ipsum versantur. Dicimus itaque libellum præsumi aptum & rectè conceptum, atque ita interpretari debere, vt sustineatur. Ita Bald. in repet. l. edita. num. 56. C. de edend. apertius Ias. in l. sed si possessori. §. item si iurauero. num. 25. ff. de iureiur. & in confil. 2. col. vlt. lib. 3. Et est recepta Doctorem opinio, libellum ita debere interpretari, vt sustineatur, vt multi quos statim recensebo, scriptum reliquerunt.

Extenditur hæc præsumptio, vt procedat etiãsi verba essent improprie intelligenda. Nam adhuc præsumitur libellus aptè conceptus, & verba ipsa debent impropriari, vt sustineatur, ita tradunt Marianus Soc. Sen. in cap. vlt. art. 33. princ. nu. 53. de libelli obl. Ias. in confil. 110. in fine. lib. 4. & idem in dic. §. item si iurauero. num. 25. vbi multis similibus comprobatur. Felin. in c. auditis. col. 1. & 2. de præscript. Calc. in confil. 76. num. 4. Dec. in confil. 28. col. penul. Capicius decif. 96. nu. 5. & Benuenutus Stracca in tract. de mercatura in tit. de libellis, seu petitionibus. num. 5.

Declaratur primò, vt non procedat hæc sententia, quando verba ipsa libelli, vel omninò conuenirēt negotio, atque ita quando essent (vt nostri loquuntur) disproportionata. Nam tunc pro libello non præsumitur, atque ita non sustinetur etiam impropriando verba. Ita

declarant Alex. in confil. 121. num. 10. versic. per hæc est. lib. 1. Felyn. in cap. auditis, col. 2. versic. hæc & familia. de præscript. & Capicius in d. c. decif. 96. num. 6.

Fraudem præsumi aduersus actorem, contraria in libello proponentem, copiosè & diligenter explicatur.

S V M M A R I V M.

- 1 Fraudulenter agere actor præsumitur, contraria proponens in libello remedia.
2 Contraria proponens, à iudicij limine rejicitur.
3 Libellus contraria continens ipso iure censeatur nullus. Quamuis adsit clausula, omni meliori modo, & c. nu. 4.
4 Libellus, vel actoris petitio continens contraria, procedit tamè sustineturque, quando ante litem contestatam vnum ex contrarijs remedijs est prosequutus.
Idem si remedia alternativè propofita sint. num. 6.
Vel possit iuris interpretatione à contrarietate saluari. numero 7.
Aut contrarietas est deducta, sub conditione. num. 8.
5 Libellus continens contraria non rejicitur in ijs casibus, quibus lites determinantur sola facti veritate inspecta.
Idem si libellans mouet remedia contraria, contra diuersos. num. 10.
6 Libellus contraria continens sustinetur, ob iustam actoris ignorantiam.
7 Libello permissum est liberis & parentibus vsque ad 4. gradum, petere hæreditatem diuersis remedijs.
8 Libello remedia contraria proponi posse, quando incertitudo ex facto aduersarij causatur.
9 Libello contraria proponi remedia, quando id generalis fori, & iudicij stylus permittit.
10 Libellus proponens contraria non rejicitur, quando reus conuenit vnum ex contrarijs acceptat.
11 Libellus contrarius rejicitur, si in verbis dispositiuis sit contrarietas, non si in narratiuis.
12 Libellus actiones contrarias proponens rejicitur, si contraria sint in origine, secus in exercitio.
Idem est si iudex sit incompetens, tunc enim actor alteram de nudo deducere potest. num. 18.
Idem si ad commodum alterius actor, contraria deducere velit. num. 19.
13 Libello actiones contraria proponi queunt, quando vna est alterius præparatoria.

P R Æ S V M P T. XLI.

De actoris libello & petitione obseruandum & illud est, quod si contraria proponantur remedia, id est fraude quadam præsumi factum, sicuti annotauit Alciatus in tract. de præsumptionibus reg. 2. præsumpt. 3. n. 2. 3. Et propterea lege sancitum est, vt à iudicij limine eijciatur ille, qui contraria proponit. l. 2. C. de furt. cap. sollicitudinem. de appellat. & confert l. contra maiores. C. de inoffic. testam. & scribunt omnes in d. l. 1. & post Baldum & Castrensem, quos commemorat tradit Decius in confil. 248. col. 1. & in l. vbi repugnantia, nu. 1. de reg. iur. Gramm. in conf. 23. num. 6. in crim. & Io. Baptista Afinius in praxi de ordine iudiciorum. §. 31. cap. 28.

Extenditur primò prædicta sententia, vt adeo rejici debeat libellus, & petitio actoris contraria continens, vt censeatur etiam ipso iure nullus. c. exhibita. vbi Butri. de iudicij, & c. imputari, vbi Felin. num. 1. de fid. instrum. & est communis sententia teste Ripa in l. naturaliter. §. nihil commune. nu. 177. ff. de acq. poss. & ibidem Claud. Mermerius, & alij.

Extenditur secundò, vt procedat etiam quando ad est

4 est clausula, peto iusticiam fieri, & ministrari omni meliori modo &c. Nam hæc ipsa clausula non defendit à contrarietate. Ita scribunt in specie Alciatus in d. regul. 2. præsumpt. 3. 1. nu. 4. post Baldum, Aretinum, & Alex. quos ibi recenset. His accedunt idem Alex. in consil. 121. nu. 12. lib. 1. & in consil. 96. nu. 7. lib. 5. Soc. Sen. in consil. 122. nu. 2. lib. 4. Fel. in c. auditis. colum. 2. vers. unde libellus, de præscrip. R. quin. in consil. 32. num. 13. lib. 1. Dec. in l. petens. nu. 5. vers. effectus tamen. C. de pactis. Ripa in d. l. naturaliter. §. nihil commune. nu. 178. vers. amplia est. ff. de acq. possess. Parisius in consil. 7. nu. 2. 1. & in consil. 31. nu. 1. lib. 1. Cæterum dissentiunt Cald. & Abb. in ca. 2. de ordin. cogn. & Soc. Sen. in consil. 128. lib. 1. Horum autem contrarias opiniones conciliat Gratus in consil. 70. num. 3. 1. 3. 4. lib. 2. Quæ quidem conciliatio non satis convenit his traditionibus. Et propterea à recepta opinione non est recedendum.

Declaratur primò, vt non procedat quando libellans ante litem contestatam vnum tantum ex duobus contrarijs remedia se propositis est prosecutus. Nam tunc nõ repellitur à iudicio, cum libellum reformasse videatur. Ita declarat Ripa in d. §. nihil commune. num. 179. sic intelligens Bart. ibid. Et idem scripserunt Iaf. in l. 1. nu. 21. vers. limit. C. de furtis. Grat. in consil. 70. num. 32. lib. 2. qui quidem Gratus sensit hoc fieri posse, etiã post litem contestatam, idem sensit Bereng. in d. §. nihil commune. in 3. part. nu. 67. vers. limita primò.

Declaratur secundò, vt non procedat quando in libello contrariæ actiones, & remedia alternatiuè proposita fuerunt. Nam tunc actor iste à iudicio non repellitur, sed libellus ipse recipitur. l. Papinianus. §. si quis irritum. ff. de inoffic. test. & ibidem annotauit Angel. & tradunt Ripa in d. §. nihil commune. nu. 179. vers. fallit. 2. & ibidem Berengar. in 3. part. nu. 68. ex sententia Bart. in l. 1. C. si plures vna sententia. & Iaf. in §. sed iste. nu. 72. Inst. de actio.

Declaratur tertio, vt nõ procedat quando iuris interpretatione libellus à contrarietate pot saluari, atque ita ad ordinem cõpatibilem reduci. Ita Bald. in l. si res. C. de ordine cogn. ex illo textu, & Ripa in d. §. nihil commune. nu. 180. qui quibusdam obiectionibus satisfacit.

Declaratur quarto, vt non procedat quando i propositio est deducta in libello sub conditione, vt si propono testamentum esse nullum, & si validum esse constabit, esse inofficiosum, ita Cast. in l. eum qui. ff. de inoffic. testa. Vel si dico, sententiam esse nullam, etsi qua est appello, iuxta doctrinam Bar. in l. si expressim. ff. de appell. Alex. in consil. 230. lib. 6. Ita in specie nostra declarat Ripa in d. §. nihil commune. nu. 180. vers. fallit 4. & ibid. Claud. Mermer. nu. 112. vers. 3. ista regula, & prius Bald. in l. 1. in 4. oppos. C. de furtis. & ibidem Iaf. nu. 21. vers. 5. ista. Eandem declarationem probarunt Dec. in l. nemo ex his. nu. 2. & 3. ff. de reg. iur. & Marian. Soc. Sen. in d. c. vlt. nu. 42. de libelli oblat.

Declaratur quinto, vt nõ procedat in casibus quibus lites determinari debet sola facti veritate inspecta. Nam tunc non reijcitur libellus contraria cõtinens, cum iudex manu quadã regia procedat, & cam diffiniat sola ipsa veritate inspecta. Ita docuit Ripa in d. §. nihil commune. nu. 181. Et accedit Iaf. in consil. 28. in fin. lib. 1.

Declaratur sexto, vt locum non habeat hæc sententia, quando libellans i mouit contraria remedia contra diuersos, in diuersis instantijs. Nam tunc non reijcitur libellus, ex quo res inter alios acta alteri non nocet, nec prodest. Ita declarat Iaf. in l. 1. nu. 20. & 21. C. de furtis. Maria. Soc. Sen. in c. vlt. nu. 25. de libelli oblat. Claud. Mermer. in d. §. nihil commune. nu. 112.

Declaratur septimo, vt non procedat quando actor i iusta ductus ignorantia, mouit contraria remedia, vt quia deduxit remedium sibi non competens, & deinde

deduxit contrarium remedium. Nam tunc ob iustam illam ignorantiam excusatur à contrarietate illa, & repugnantia. Ita probat l. mater. de inoffic. testa. & in specie sic declarat Bart. in l. 1. C. de furtis, & ibid. Iaf. nu. 12. vers. 2. fallit. Ant. Burgos in c. cum causa. num. 3. de empt. & vend. Maria. Soc. Sen. in c. vlt. num. 35. de libelli oblat. & Mermerius in d. §. nihil commune. nu. 112. vers. 2. limitabis. Et idem est quando errore iusto contraria deduxit, secund. Soc. vbi supr. nu. 36.

Declaratur octauò secundum Iafon. in dict. l. 1. num. 12. vers. 3. fallit. C. de fur. vt non procedat in casu l. vltim. §. penult. C. de codicil. quo sancitum est, quod licet quis petere non possit hereditatem ex testamento iure directo, & eandem ex codicillis iure fideicommissi, ex quo contraria hæc sunt. Attamen i permissum est liberis, & parentibus vsque ad tertium, & quartum gradum id facere. Ita expressius declarat Marian. Soc. Sen. in d. c. vlt. nu. 41. de libelli oblat.

Declaratur nonò, vt non procedat prædicta sententia, quando i ex facto aduersarij causatur incertitudo, qua necesse adori est proponere remedia cõtraria. Hoc sanè casu non reijcitur libellus, sed admittitur, adhibere tamen debet actor protestationem, quod ex vno tantum remedio vult obtinere. Ita probat l. 1. §. qua autem. ff. quorum lega. & in specie declarat Iaf. in d. l. 2. num. 14. & nu. 21. vers. 4. ista. C. de furtis. Marian. Soc. Sen. in d. c. vlt. nu. 40. de libelli oblat. & eiusdem sententiæ alios commemorauit in tract. de adipiscenda poss. remedio 2. num. 107.

Declaratur decimò, vt non procedat quando i generalis fori, & iudicij stylus, permittet contraria remedia posse simul deduci in eodem libello. Ita ex sententia gl. in §. alia. Inst. de act. Bart. in l. 1. in princ. ff. de publ. in rem actio. declarant. Bal. in l. 1. in quinta oppos. C. de furtis, & ibidem Iafon nu. 21. vers. 9. fallit. & Claud. Mermer. in l. naturaliter. §. nihil commune. nu. 112. in fi. ff. de acq. poss. & idem sensit Socin. in d. c. vlt. nu. 43. de libelli oblat.

Declaratur vndecimò, vt nõ procedat prædicta sententia quando reus conuētus i acceptaret vnum ex remedijs contrarijs, ab actore ipso propositis. Nam tunc ob commodum ipsius rei cõuenti, libellus ille non reijcitur. Ita Bald. in l. eum precum. C. de libe. causa. Iaf. in d. l. 1. num. 22. C. de furt. Dec. in c. solitudinem. nu. 8. de appellat. & Alc. in d. tract. de præsump. reg. 2. præsump. 31. num. 5.

Declaratur duodecimò, vt locum habeat prædicta sententia, quando i contrarietas, & repugnantia resultaret ex verbis dispositiuis libelli, secus si ex narratiuis tantum. Ita in specie declarat Grat. in consil. 156. num. 26. lib. 2.

Declaratur decimotertio, vt non procedat quando actiones non sunt i contrariæ in sui origine, sed in exercitio. Nam tunc actor non repellitur, sed si in vna succubuit ad aliam reuerti poterit. Ita declarat Soc. Sen. in d. c. vltim. num. 37. de libelli oblat. post Bart. quem recenset, ex l. Aurel. §. vlt. ff. de libe. leg. et si Angel. in l. 1. C. de furt. dissentiat.

Declaratur decimoquarto, vt nõ procedat quando i iudicium fuit nullum, ob iudicis incompetentiam. Nam tunc nõ impeditur actor, quominus alteram ex actionibus contrarijs propositis denuo deducat. Ita Soc. Sen. in d. c. vlt. nu. 38. qui declarat.

Declaratur decimoquinto, vt non procedat quando i actor ad alterius commodum, vult deducere contraria. Nam id facere potest. d. l. 1. C. de furt. & explicat Socin. vbi supra nu. 39.

Declaratur decimosextò, vt non procedat i quando vna actio est alterius præparatoria. Nam tunc non impeditur actor, quominus vtramque proponere possit.

Ita

Ita declarat Socin. vbi supra, num. 44. Non me latet tamen, hæc & alias nonnullas ex commemoratis declarationibus non multum conuenire huic regulæ, & traditioni, eas tamen recensere his paucis volui, quod sciam non esse infrugiferas.

Reus conuentus, an fraude præsumatur proponere contrarias exceptiones.

S V M M A R I V M.

- 1 Reo permissum est lege, contrarijs vt exceptionibus, etiam in exceptione facti. num. 3. Et id si non in prima instantia, sed 6 appellatiõis faciat. nu. 4.
- 2 Reo cur magis quam actori faueamus.
- 5 Exceptiones duæ contrariæ opponi nequeunt, cum vna in se ipsa est contraria.
- Idem in exceptionibus cõtrarijs in facto, siue præcisè contrarijs & incompatibilibus. num. 6.
- 7 Exceptiones contrariæ reus proponere, sed non probare potest.
- 8 Exceptiones contrariæ reus proponere potest, si actor in ijs nullo probationis onere grauat.
- 9 Exceptiones cõtrariæ non admittuntur in ijs casibus, quib. mendacium punitur.
- Idem est in ijs casibus, quibus lex est impedimento ne contrariæ exceptiones deducantur. num. 10.

P R A E S V M P T. XLII.

Dicendum nunc est, an sicuti fraus præsumitur in actore proponente contrarias actiones, ita etiam præsumatur fraude vti reus, qui contrarias exceptiones proponit. And. Alciatus magni nominis iurifonsul. in tractat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 3. num. 5. sensit, non præsumi fraudem, cū (vt ille inquit) lege reo i permissum sit posse vt contrarijs exceptionibus. Id quod & pro regula tradunt Iaf. in l. 1. num. 22. C. de furt. Dec. & reliqui recentiores in l. nemo ex ijs. ff. de reg. iur. ex eo text. & ex cap. nullus. de reg. iur. in 6. Et huius regulæ ea est ratio, quod reus ita ad iudicium paratus venire non potest, vt actor, & ideo ei magis i quam actori fauemus, l. fauorabiliores, de reg. iur. Quæ sanè regula procedit multo magis quando contrariæ hæ exceptiones deducuntur sub conditione, vt si dicat reus, nego me aliquid à te recepisse, quod si apparebit me id habuisse, dico restituisse. Hæ sanè exceptiones sine dubio deduci ita possunt, vt ex sententia glossæ, in l. si quidem. Co. de except. scribant Dyn. in dic. cap. nullus. de regul. iur. in 6. Aret. in consil. 96. num. 3. Socin. in l. nemo prohibetur. num. 1. ff. de except. Dec. in dic. l. nemo ex his. num. 2. de reg. iur. & ibidem Cagnolus num. 4. Et accedit, qd si contrariæ actiones conditionaliter deduci possunt, vt superiore præsumptione in quarta declaratione diximus, multo magis contrariæ exceptiones deduci possunt.

Extenditur primò etiam quando i reus deducit facti exceptionem, exempli gratia negado se teneri, quia nõquam debuit, aut quia soluit. Ita tradit gl. in d. l. nemo ex ijs. de reg. iur. vbi in specie annotauit Cagn. nu. 2. sic intelligentes textum illum.

Extenditur secundò, vt procedat etiam si reus iste distulit proponere in prima instantia, & eam proposuit in i instantia appellatiõis. Nam adhuc permissum hoc ei esse dicitur. Ita tradunt Socin. in l. is qui. ff. de except. Cagn. in d. l. nemo ex his. num. 5. in fine. de reg. iur. quo loci num. 5. subiungit, quod si accusatus de homicidio negauerit, & fuerit cõuētus, potest alia defensione vt excipiendo, se id facisse ad sui defensionem, quam quidem traditionem, auctoritate multorum comprobauit.

Et accedit Claud. Marmer. in l. naturaliter. §. nihil commune. n. 16. ff. de acquir. possess. Et hanc quoque extensionem probant nouiss. Hier. Franc. in d. l. nemo ex his. n. 2. & sensit Aret. in consil. 96. nu. 3. in fi. c. exceptione. de exceptionibus.

Declaratur primò, vt non procedat hæc traditio, qd vna i exceptio quæ obijcitur est in se ipsa contraria. Nã illa omninò impeditur proponi. Ita Bart. in dic. l. nemo prohibetur. col. 2. vers. quadoque vna. ff. de excep. Cagno. in d. l. nemo ex his. num. 13. de reg. iur. puta si reus dicat, appello meo nomine, & nomine alieno, iuxta l. 2. §. sed si filius. ff. quando appel. fit.

Declaratur secundò prædicta sententia, vt loci i non habeat in exceptionibus contrarijs in facto, siue præcisè contrarijs, & incompatibilibus, vt puta si exciperet quod pactum de non soluendo esset initum certa die in ciuitate, & de solutione eadè die facta in ciuitate Venetiarum. Hæ enim exceptiones adeo in facto sibi contradicunt, vt earum vna falsa omninò sit, & ideo reus sic excipiens non auditur, ita tradunt Comens. & Soci. in d. l. nemo prohibetur. in fine. ff. de except. & Decia. in d. l. nemo ex his. nu. 4. vers. & prædicta. de reg. iur. & ibi dem Hieron. Francus col. pen. vers. 3. & vlt. limit. Cagn. num. 9. Zasius in d. l. nemo prohibetur. num. 6. vbi exemplum adfert, si quis excipiat habere vsum fructum in omnib. bonis vxoris suæ, & nihilominus partem suam esse proprietatis. l. scripturæ. Cod. de fide instr. l. vbi repugnantia. de regul. iur.

Declaratur tertio, vt admittatur quidem reus ad proponendum i contrarias exceptiones, sed non tamen ad probandum, cum contraria probare non possit, ex quo vel vnum, vel aliud fallum esset. Ita declarat Alex. in l. si alienam. col. 2. ff. solu. mattim. Soc. in d. l. nemo prohibetur. n. 1. ff. de except. & ibidem Zasius. n. 9. Fel. in c. impunitari. de fide instr. & in c. pastoralis. de except. Cagno. in d. l. nemo ex ijs. n. 13. ff. de reg. iur. & ibidem copiosè Guilielm. Mayn. & Hieron. Fran. col. pen. vers. 2. Hæc doctrina. Claud. Mermer. in l. naturaliter. §. nihil commune. n. 14. ff. de acq. poss. Poterit tamen admitti ad probandum conditionaliter, vt præcit. in loco admonuit Socin.

Declaratur quarto, vt procedat hæc regula in pluribus i exceptionibus, quæ à reo ipso probandæ sunt, & actor nullo probationis onere grauat, sicuti in exceptione præscriptiõis, priuilegij, & pacti de non petendo, secus si actor grauaretur onere probandi, vt puta si reus negaret pecuniam fuisse numeratam, deinde etiam diceret se eam soluisse. Nam tunc exceptiones hæ simul proponi non possent. Ita Bar. in d. l. nemo prohibetur. num. 3. & ibidem Soc. nu. 4. de except. Francus in cap. nullus. de reg. iur. in 6. sensit Ate. in consil. 96. nu. 3. Fel. in d. c. pastoralis. & ibidem Paris. n. 35. de except. & Cagno. in dic. l. nemo ex his. n. 14. de reg. iur. quo loci Dec. num. 4. a ceteris dissentit.

Declaratur quinto, vt prædicta regula non procedat illis in i casibus, in quibus mendacium punitur. Nam tunc non erit permissum vt pluribus exceptionibus contrarijs, absque pæna mendacij. Ita scribit Soc. in d. l. nemo prohibetur. n. 5. ff. de except. vbi egrègiè declarat, & ibidem Zasius in fi. Dec. in d. l. nemo ex his. nu. 7. de reg. iur. & ibidem nouè Hier. Franc. nu. 4. qui multis confirmat exemplis.

Declaratur sexto, vt non procedat, quando i lex esset impedimento ne exceptiones hæ contrariæ possint deduci. Ita probat d. l. nemo ex his. de reg. iur. vbi gl. recenset exempla & ibid. Cagn. n. 15. secutus est, & ibidè nouiss. Iacob. Reuardus eruditiss. iurifonsul. alio exemplo regulam illam explanauit.

Proba-